

Guidone Feranensi urbis prætoris hortatum, ut relicto portu, se in urbem cum suis reciperet: sed id facere recusasse. Sub primum igitur hostium appulsum acre prælium est commissum, distractumque in duas horas. Tum remisso paululum certamine, utrinque spatium datum ad curanda corpora: reditum inde in pugnam aliquanto ferocius: fuissetque strenue defensus portus, nisi, parte hostium in littus exposita, Venetus cominus, & quasi in orbem coactus esset pugnare. Sic quoque aliquandiu illorum vim sustinuit: verum superante multitudine, loco summotus, in fugam vertitur. Proxima urbs effecit, ne major cædes ederetur, quam in pugna commissæ esset: Thaddæus cum centum aliis in hostium potestatem venit. Ligur ea parte navium corrupta, quæ aquis extabat, inde ad Ficulanum portum ire pergit: ubi sex alias Venetorum triremes esse rumor erat. Earum quinque, Ligure temere locum occupante, media trepidatione dilapsæ domum abire: una quæ minus gnaviter fugam molita est, alias sequi non valuit. Illarum turmæ quæ ad Sipontum cladem acceperant, terrestri itinere Clodiam venire, ubi per eos dies quibus hæc procul domo gesta sunt, in stagnis prospere est a Venetis contra octoginta hostium navigia pugnatum: quorum octo capta sunt, reliqua classe fusa fugataque, ac Clodiam trepide compulsæ. Nec ita multo post Ligusticum præsidium, quod ad molas fuit, parum prospera est oppugnatione tentatum. Nam præterquam quod Venetus inde cum ignominia est rejectus, cecidit ibi Lodovici Lauretani filius, juvenis impiger, cum quibusdam aliis Veneti nominis illustribus. Postero die, quum rursus Veneta navigia præsidium circumstetissent, interim Patavina classis (quæ, obsessæ Clodia, eo ibi consilio defecerat, ut per ocium, dum Venetæ triremes tenuitate aquarum agi non possent, in continentem transmitteret) stagnum navigare occæperat. Ita forte accidit, ut quum Veneti in id certamen essent intenti, allatum sit trepide ad eos, Patavinum in continentem abire. Quo negotio statim omisso, transversis stagnis ad hostem celeriter ire pergunt: quem non procul a

1380
Thaddæus
Justinianus
partem clas-
sis ad Sipon-
tum amit-
tit.